

1371

*Discepratio
de finibus
cum Pata-
vinis.*

gratiam redirent. Sed res frustra a summis viris tentata. Venerunt inde ex Pannonia oratores (nam Carrarii in Lodovici Regis fide esse dicebantur) & Venetorum causa ex Florentia Pisique legati affuere: suntque eorum interventu in duos menses pactæ induciæ. Dederunt Veneti quinque viros, ac totidem Carrarii, qui in rem præsentem venirent, deque finibus coram agerent, atque sine aliqua majore altercatione fines recognoscerent. Sed ab his quoque nihil confici potuit. Sub id tempus resciverant Patres, subornatos fuisse quosdam facinorosos homines a tyranno, qui aliquot ex patricio ordine viros trucidarent. Data est diligenter opera, ut ii tota urbe diligenter inquirerentur, eorum quidam apud plebejam fœminam, cognomento *Gobbam*, capti sunt. Indici, cui veritas ultro expressa est, vitam Patres condonarunt, ita tamen, ut decem annos in custodia esset. Reliqui tota urbe equis distracti, & ad geminas columnas in quatuor partes dissecti, pœnas concepti sceleris meritissimas luerunt. Hospitis filius, qui nobiles conficiendos percussorum oculis subjecturus fuerat, laqueo necatus. Nec multo post nonnulli ejusdem sceleris convicti, eodem genere mortis affecti sunt. Ingens metus Patres inceserat, ne ab hujusmodi grassationibus aliquod magnum incommodum Respublica adiret. Decretum est, ut optimi quique, vel imprimis qui se Carrario tyranno invisos certo sciebant, ab armatis ex domo in curiam deducerentur. Data præterea opera est, ut putei quam diligentissime asservarentur, quos rumor erat, statuisse eum ad perdendam civitatem veneno inficere. Nondum præsentī metu liberati erant Patres, quum nova cura illos incescit, ac mutua quædam suspicio: esse ex ordine senatorio quosdam, qui omnia quæ sanctioribus consiliis decernerentur, per fidissimos internuncios Carrario significarent. Quæstione super ea re decreta, compertum est, nonnullos ejus ordinis viros in culpa esse; omnes sceleris convicti, qui minus fontes fuere, senatu summoti, jussi sunt omni publico munere abstinere: reliqui perpetuo